

**Dissertatio medica de animi perturbationum vi ad generationem morborum
... / [Gregorio Garcia-Fernandez].**

Contributors

Garcia-Fernandez, Gregorio.
Barthez, P.-J. 1734-1806.
Ecole de médecine de Montpellier.

Publication/Creation

Monspellii : Apud Augustinum-Franciscum Rochard, 1773.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/anam7z44>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

2

DISSERTATIO
MEDICA

DE

ANIMI PERTURBATIONUM

VI AD GENERATIONEM MORBORUM.

QUAM, Deo duce, & auspice Dei-parâ, in Augustissimo
Ludovico Medico Mospeliensi propugnavit

AUCTOR

GREGORIUS GARCIA-FERNANDEZ, Hispanus, Artium Liberalium
Magister, & jamdudum Medicinæ Studiosus, die vicesimâ-
septimâ Aprilis ann. 1773.

PRÆSIDE

R. R. D. D. PAULO-JOSEPHO BARTHEZ, Regis
Consiliario & Medico, nec-non in inclyta Mospeliensi
Medicinæ Universitate Cancellarii & Judicis
Coadjutore.

Pro Baccalaureatus Gradu consequendo.



MONSPELII,
Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Universitatis Medicinæ,
Typographum unicum.

M. DCC. LXXIII,

Cæterum omnes morbos à repletionibus deducere velle, methodumque curativam ad eas semper dirigere, uti multi consueverunt, à rei veritate summo-
pere alienum puto. Multi, fateor, ob repletiones in morbos incidunt, sed multo plures ob Animi Pa-
themata, & potissimum si, aut Patres familias, aut rei familiaris cura distenti, aut in dignitate consti-
tuti fuerint, aut in aula vivant: quorum plurimi longè alia cogitant, quam stomachum crapula & ebrietatibus quotidie replere.

Bagl. Prax. Med. Lib. 1. Cap. 14.

ILLUSTRI ATQUE NOBILI VIRO

D. D.

BARTHOLOMÆO FERNANDEZ-ORTIZ

HISPANIARUM REGIS PHARMACOPŒO HONORARIO,
OLIM REGINÆ MATRIS PRIMARIO,
REGII PROTO-MEDICATUS IN PHARMACEUTICE EXAMINATORI,
COLLEGII PHARMACOPOLARUM MATRITENSIVM DIRECTORI,
REGIÆ ACADEMIÆ MATRITENSIS ET SOCIETATIS HISPALENSIS
SOCIO &c.

MŒCENATI SUO ET AVUNCULO COLENDISSIMO,

AVUNCULE CARISSIME,

I*Ngrati animi accusatione quí possem liberari,*
nisi Tuo sacra Nomini prodiret hæc Dissertatiuncula,
quam solum prelo mandandi jam diu in animo habe-
bam, ut tuam in me benevolentiam atque animi induc-
tionem publice declararem? Tot enim & tanta in me

contulisti beneficia , quorum numquam non gratus
memini , ut iis recensendis immorari vetet eorundem
multitudo. Tuo jussu atque impensis , humanio-
ribus litteris , Philosophia , Chemicæ ac Botanices
principiis me imbutum fuisse gloriari mihi dulce ac
decorum est. Huc accedit quod me in hanc Academiam
percelebratam misisti , ut Medicinæ operam navem.
Quocirca has lucubrationes , etsi levidense munuscu-
lum , sereno vultu accipias velim , in perpetuum grati
animi specimen. Vale , mihiq̄ue , ut facis , favere perge.
Etiam atque etiam vale. Id medullitus exoptat ,

AVUNCULE CARISSIME ,

Deditissimus & humillimus
Servus & Sororis Filius ,

G. GARCIA - FERNANDEZ.



DISSERTATIO MEDICA

DE ANIMI PERTURBATIONUM

VI AD GENERATIONEM MORBORUM.

I.



A est Animi Perturbationum vis atque potentia ad œconomiam animalem conturbandam, ut non solum gravissimos morbos producere, eosque mirifice immutare, verum etiam citissimam mortem inferre deprehendantur. Si quis morbus, inquit eximius Baglivus (a) *durante animi passione, ægrum corripuerit, solet interdum tandiu durare,*

quandiu ipsa animi passio, & potius in alienæ speciei morbum mutabitur, quam ægrotantem liberum relinquet. Hoc præcipue in muliere quadragenaria observavit, quæ ob gravissimas animi curas copioso sanguinis ab utero profluvio tentata fuit, à quo post varia remedia adhibita evasit: Sed eisdem animi motibus iterum vexata, in fluorem uterinum, nunc album, nunc variegatum incidit, quo suppresso, angores cordis, anxietates pectoris, extrema virium resolutio, lenta febris &c. supervenerunt, & tandem ad superos migravit.

Vehementes quoque animi passionem in causa sæpe sunt, ut morbi curatu faciles gravissimi evadant, ægrumque è medio tollant; quod ægrotantis vanæ mortis formidini, aut de recuperanda valetudine desperationi potius, quam morbi magnitudini tribuendum jurè ac merito censetur.

Præterea, etsi verum est præsentissima venena nonnumquam vi ac celeritate nocendi ab Animi Perturbationibus superari, tamen morbos qui

(a) Prax. Med. lib. I. cap. 14. §. IV.

nullo antea auxilio sanari potuerant, earum ope debellatos fuisse quamplurimis observationibus comprobatur; ut videre est apud Valeriolam, Horstium, Aſa Haſſnienſia, & Naturæ Curioſorum, Amatam, & Zacutum Luſitanos, alioſque bene multos: quare Animi Perturbationes, non ſolum inter cauſas morborum, ſed etiam inter instrumenta medendi, locum ſibi vindicant.

Nonnulla de Animi Perturbationibus in genere tradere iuvat, priuſquam ad innumera mala, quæ ex illis pronafcuntur, recensenda deveniamus.

I I.

Egregie & ingenioſe admodum animadvertit Ariſtoteles (a) animi pathemata non ſoli animo, ſed ipſi homini, quatenus ex corpore & anima conflat, convenire.

Porro duplex animi affectuum genus diſtinguimus, alterum rationis particeps, alterum ejuſ expert. Quoniam vero animi affectiones, quæ rectæ rationi parent, inter cauſas morborum numerari nequeunt, hic tantum de motibus vehementioribus, quos recta ratio non moderatur, agemus, hi enim ſunt, qui, ut ex definitione apparebit, Græcis *pàthe*, *pathémata*, latinis vero animi perturbationes affectus &c. audire conſueverunt.

I I I.

Animi Perturbationes varie definiuntur. Zenoni Animi Perturbatio dicitur, averſa à recta ratione contra naturam animi commotio: Galeno motus non obtemperans rationi: aliis appetitus vehementior. Illuſtr. Gaubius (b) eam definit animi impetum majorem quam qui rectæ rationi conveniat, quo fertur in ea, quæ quod vel bona vel mala, vel inſolita ſint, ſaltem talia videantur, placent, diſplicent, aut percellunt.

I V.

Omnes Animi Perturbationes ex duobus bonis & duobus malis opinatis naſci cenſent Stoici, unde quatuor ſtatuunt præcipuos Animi Affectus, ad quos tanquam ad ſumma genera, cæteros revocant. Ex quatuor hiſce præcipuis affectibus primi, Lætitia nempe, & Libido, in

(a) Τὸ δὲ λέγειν ὀργιζέσθαι τὴν ψυχὴν, ἡμῶιον αἰ εἰς τὴν λέγειν τὴν ψυχὴν ἠυφαινεῖν, ἔ οἰκοδομεῖν. Βεβίον γὰρ ἴſοſ με λέγειν τὴν ψυχὴν εἰλεῖν, ἔ manthaneῖν, ἔ dianoειſθαι, ἀλλὰ τὸν ἀνθρώπον τε ψυχε. De Anim. lib. 1. cap. 4.

(b) Inſtit. Pathol. §. 532.

bonorum præsentium & futurorum opinione versantur : alteri Metus, & Ægritudo, ex malorum præsentium pariter & futurorum existimatione oriuntur. Lætitia de bonis præsentibus : Libido de futuris dicitur. Metus de malis futuris : Ægritudo de præsentibus intelligi debet. (a)

V.

Animi passiones in delectabiles & dolorificas, seu quod eodem recidit, in lætas & tristes quidam Auctores dispeſcunt ; quamobrem omnes affectus quotquot sunt, ad Gaudium, & Mœrorem reducunt. Denique ratione vehementiæ suæ cito transeuntis, aut tardæ sed continuatæ actionis, in acutas & chronicas, non minus commode quam ipsi morbi, nec dispari de causa, dividuntur.

VI.

Nulla igitur pacto explicare audeamus, quonam modo animi perturbationes morbos producant, & quomodo corpus & anima in se invicem agant, hanc enim difficillimam quæſtionem, quæ magna ingenia hætenus frustra exercuit, intactam relinquere, & ignorantiam nostram profiteri necessarium duximus. Hic in primis locum habet illud Tullii (b) effatum : *rerum eventa magis arbitror, quam causas quæri oportere, nam & hoc sum contentus, quod etiamsi, quomodo quidque fiat, ignorem, quod fiat, intelligo.* Itaque nobis illud minime exprobrari potest quod de multis Medicis recte sibi philosophari videntibus dicit Galenus, qui rerum quæ manifeste conspiciuntur, causas reddere nequeunt, eas esse omnino negant.

Interea tamen miram duplicis substantiæ, qua homo constat, sympathiam, sive consensum, quo efficitur, ut animo affecto, corpus simul afficiatur, & vice versa, certis legibus principio rerum sancitis, quæ non aliunde nisi à supremi Numinis voluntate ac decreto pendent, subjici omnes fere Philosophi asseverant. Has autem leges, quæ conjunctionis mentis & corporis dicuntur, nobis adhuc omnino ignotas esse fateamur necesse est.

VII.

His ita positis, nunc speciatim nobis agendum superest de Animi Affectibus, de eis præsertim, quos corpus nostrum valde alterare, &

(a) Vid. Cic. Quæst. Tuscul. lib. 4

(b) De Divin. lib. 1.

morbos, ipsamque mortem inferre observatum fuit. Reliquos enim qui ex illis oriuntur, & quorum tractatio magis ad Ethicam, quam ad Medicinam spectat, Philosophis relinquimus. Hæc autem pathemata sunt, *Amor, Ira, Metus, Lætitia, & Tristitia*, de quibus figillatim dicemus.

VIII.

AMOR triplex distingui solet, Proprius, Sympathicus, & Venereus. Hic solummodo de Amore Venereo, sive reciproca attractione, si ita loqui fas est, qua vir & femina in mutuos amplexus feruntur, agere fert animus, nam hæc amoris species, quæ nullum caput fugit, ingentium malorum, præcipue si intra suos limites non contineatur, & Aliarum Perturbationum causa extat.

Morbis gravissimis amore flagrantes corripuntur, Melancholia videlicet, quam Erotomaniam vocant, Mania, Marasmo, Febri lenta, Tabæ dorsali, catameniorum Suppressione, Chlorosi, Hysterica Passione, Nymphomania &c. quorum plurimi interdum, adhibitis in cassum omne genus remediis, solo conjugio, & Nymphæ concupitæ suavibus complexibus sanitati mentis & corporis restituti fuerunt. Aretæus narrat quemdam insanabiliter se habuisse, eo quod puellam deperiret, qui, Medicis nihil proficientibus, ab amore Medico prorsus sanatus est. Plures id genus observationes in Historia Medica habentur.

Cum vero Amor, ut paulo ante posui, cum aliis vehementissimis perturbationibus copuletur, Gaudio scilicet, Mœrore, Metu, Ira Zelotypia, sive Obtrectatione, huc etiam pertinent omnia mala quæ ab hujuscemodi affectibus provenire constat. Insania ex Zelotypia observata fuit. Vaterus (a) refert militem robustum & optime se habentem optatis diu virginis amplexibus fruiturum summo perfusum gaudio subito obiisse. Catoche etiam juvenem Britannum ex inopinata matrimonii repulsa detentum fuisse narrat Tulpius; (b) cui juveni cum altâ voce exclamatum fuisset, rem meliori esse loco, & cupitam habiturum amicam, modo ad se reverteretur, profiliit confestim ex sedili, & quasi excitatus ex profundiori somno, rediit actutum ad se. Plurimos itidem repente sublato fuisse ob amicæ obitum aut repulsam traditum est.

Quod ad philtra seu pocula amatoria olim valde decantata, & inter amoris causas numerari solita spectat, sciendum est philtri nomine nihil

(a) Miscell. Cur. Dec. III. ann. 9. & 10. à Swieten tom. 3. pag. 467. citat.

(b) Observat. Med. lib. 1. cap. 22 pag. 43 & 44.

nihil aliud intelligi, nisi pharmacum amorem quomodocumque concilians, sive hoc in poculo, sive in cibo, aliterve exhiberetur.

Sed omnia pharmaca ex triplici naturæ regno deprompta, inefficacia atque amori mutuo conciliando inepta esse deprehenduntur, etsi ad venerem quandoque excitare queant. Id vero quod philtis adscribi solet, consuetudini, urbanitati, colloquiis, elegantiae, pulchritudini, aliisque causis amorem conciliantibus, tribuendum. Non possum quin referam illud acutissimum Philippi Macedonum Regis uxoris dictam, quæ puellam quam Philippus oculis ferebat, ad se adduci iussit, eo quod Regi philtion dedisse credebatur: quam cum forma, elegantia & morum suavitate præstantem conspiceret, posita omni de philtro suspicione, exclamasse fertur: *chàretosan diabolai, sù gar en seaute pharmaca echeis*: h. e. valeant calumniæ, tu enim in te ipsa pharmaca (philtia) habes. Idem iudicium esto de incantationibus, fascinationibus, imaginibus, characteribus &c.

IX.

IRA non immerito ipsa peste truculentior dicitur, cum vastissima regna, amplissimas ditiones, & florentissimas respublicas atrocitate sua devastetur; hinc enim bella, duella &c. Hic animi affectus exoritur, ubi nobis aliqua infertur injuria, quo, quia nobis à Natura tributum fuit, ut conservationi nostræ invigilemus, ad ulciscendum & puniendum eum qui non jure videtur læsisse, cogimur. Wierus Iram definit: *appetitum profligandi objectum propter apparentem injuriam*: propter injuriam apparentem, inquit, quia non est injuria, quæ in eo vertitur, quod suum cuique non reddatur, semper quæ injuria esse videtur. Iræ subjiuntur, Odium, Inimicitia, Contentio &c.

Iram vehementem & efferatam bene cum antiquissimo Poëta Ennio initium insanix dixeris, cum qua nihil recte nihil considerate fieri potest. Alii iram furorem brevem, parvam febrem, epilepsiam momentaneam, appellarunt.

Nunc vero expendenda sunt, quæ maxime in ipso Iræ paroxysmo notatu digna occurrunt. Galenus ait iræ pulsus esse magnum & vehementem. Wierus illum omnino varium, & semper inæqualem observavit, prout perpeniones apparentis injuriæ dominantur vel incremento, vel statu, vel diminutione, vel redintegratione. Respiratio concitior, Sitis, Calor, & Tremor artuum in ira percitis notantur. Oculi iratorum sunt torvi, scintillantes, sanguine suffusi, nunc fixi, nunc varie mobiles. Facies inflatur, & rubet maxime in plethoricis & temperamento sanguineo præditis: fortius solito pulsant arteriæ capitis, maxime frontales: turgent & nigrescunt sanguine venæ, ita ut vena præparata quandoque ad minimi digiti crassitudinem accedat. Quidam

ira excandescentes profuse & præcipitanter garrunt, quidquid in buccam venerit: quidam è converso silent, & non aliud exhibent iræ indicium, nisi quod labra, quæ nonnumquam livescunt, mordeant. Alii lingua hæsitant, ac eam quasi vinculo constrictam habere videntur.

Quatenus ad iræ effectus, missis iis omnibus, quæ ad morum indolem pertinent, quemnam igitur latet homines ab ira indui *in vultus ac terga ferarum*? In primis sciendum est ab iræ impetu quam maxime turbari circulatorium sanguinis humorumque motum, quem adaugeri constat ex phænomenis quæ Iræ accessum comitantur, & sequens comprobatur observatio Hildani (a) qui ait: ramum sinistrum soporalis arteriæ desuper musculo crotaphita in homine quadragenario naturæ biliosæ & iracundo, continui solutionem ex vulnere capitis passum, ac deinde pene sanatum, iterum ruptum fuisse ex subita excandescencia; unde secuta fuit hæmorrhagia, quæ vix restingui potuit. Vehemens Iræ impetus lethalia quandoque sanguinis profluvia, in eis præsertim, qui hæmorrhagiis obnoxii sunt, excitavit, ut innumeris observationibus confirmatur. Ira quoque inter causas hæmophtoes recensetur. Phrenesin mortalem in puero quindecim annorum, cui caput vulneratum & cranium fractum erat, ex iræ affectu observavit Hildanus, (b) qui in cadavere post obitum aperto, meninges sive membranas cerebri undique inflammatas, & arterias & venas sanguine turgida deprehendit. Eapropter Chirurghi vulneratos admoneant, oportet, ut cane pejus & angue Iræ motus impetuosiores fugiant. Experientia etiam practica constat eos qui Ira vehementissima corripuntur, non raro experiri periculosissimas inflammationes, Pleuritidem, Peripneumoniam, inflammationem Ventriculi, intestinorum, Erysipelas &c.

Diarrhæas quoque & vomitum biliosum * ad iram supervenire certum est. Hildanus (c) refert se matronam honestissimam cognovisse adeo à pharmacis abhorrentem, ut mannam, aut syrupum rosaceum vix potuerit sumere, quæ tali naturæ beneficio erat prædita, ut ex minima etiam animi perturbatione, præcipue ex ira, adeo alvus subduceretur, ac si pharmacum quantumvis efficax sumfisset. Riverius (d) Icterus &

(a) Obs. Chirurg. cent. 1. obs. 18.

(b) Ibid. cent. 1. obs. 17.

* Cave ne purgantia aut vomitoria post iræ accessum ad bilem evacuandam præscribas, nam purgantibus vel emeticis post gravio rem iræ impetum exhibitis, omnia versa fuisse in pejus, & mortem acceleratam esse observatum fuit. Vid. Fr. Hoffmann Dissert. de Medicinâ emetica vel purganti post iram veneno.

(c) Annot. ad obs. 18. cent. 1.

(d) Obser. Med. cent. 2. obs. 9.

aborsum in matrona Monspeliensi observavit, quæ ex occasione quadam domestica in iram vehementissimam concitata fuerat, à qua vomitum mane patiebatur cum dolore stomachi, symptomate iratis familiarissimo: alvus non erat adstricta, sed potius liquida & biliosa deiciebat. Hæc Riverii aliorumque observatio solas animi affectiones morbum animantium, araneorum v. g. sciuri &c. quæ vulgo venenata habentur, comitantes, aurigini, quæ eorum veneno falso tribuitur, cum eo careant, (a) excitandæ aptas esse suadet. (b) In senibus & plethoricis apoplexiam ira non raro produxit. Galenus (c) refert juvenem quemdam epilepsia corripitur, dum irascebatur. Catalepsim ex nimia ira pronatam fuisse narrat Dolæus. Febres ardentes, biliosæ, ephemeræ, tertianæ, nec-non viscerum primæ digestionis turbæ enormes, & fluidorum errores omnivarii, ut inquit Gaubius, (d) ex iræ impetu orta fuisse dicuntur. Mortem quoque ex nimia ira subsecutam fuisse testantur plurimi Historici & Medici fide-digni contra Galenum, qui ex ira neminem interiisse contendit, (e) quorum testimonia colligenda curavit Marcellus Donatus, (f) quæ brevitatis gratia missa libenter facimus.

X.

METUS definitur dolor quidam ac perturbatio ex opinione futuri cujusdam mali appropinquantis, nam, ut ait Aristoteles, (g) non omnia mala metuuntur, sed ea tantum, quæ molestias magnas afferre possunt, & hæc quæ non longe sed prope adparent, nam quæ longe admodum non metuentur. Ad Metum etiam pertinent Terror, Formido, Pavor &c.

In hominibus hac animi affectione perculsis, pallor & constrictio quædam totius corporis peripheriæ, papillarum nervearum cutis, & pilorum erectio, respirandi difficultas, cordis palpitatio, alvi atque urinæ egestio, scroti & testium contractio, à qua pendet involuntarium seminis profluvium, quod metu concitatis nonnumquam accidit, artuum & labri inferioris tremor, albor, fitis, ventris crepitus, & murmur, observantur. Excretionem insensibilis transpirationis multo remissius fieri Sanctorius adnotavit.

(a) Sauvag. Dissert. sur les Animaux venimeux de France.

(b) Idem Nosol. Method. t. 2. p. 587.

(c) De Loc. Affect. lib. 5. c. 6.

(d) Inst. Pathol. §. 542.

(e) De Sympt. caus. lib. 2.

(f) Med. Hist. Mirab. lib. 3. cap. 13.

(g) Rhet. lib. 2. cap. 5.

Terrorem magnum in primis atque inopinatum malorum innumera-
 bilium causam extitisse Historia Medica perhibet. Morbo Comitiali
 nihil frequentius, quam vehementem & subitum terrorem ansam præ-
 bere certissimum est, maxime si jam diathesis epileptica existit. Multi
 equidem in epilepsiam, quæ deinde totum vitæ decursum permanfit,
 eo inciderunt, quod viso epileptico, vehementissimo terrore perculsi
 essent. Quam ob rem jam usus invaluit, idque merito, ut facies velo
 aut linteo cooperiatur, cum mirum in modum agitatibus artubus quidam
 in templis aut viis concidit epilepticus, ne adstantes eo etiam morbo
 crudelissimo corripiantur. Illud autem admiratione dignissimum est
 quod refert Hildanus (a) de matrona quadam gravida prospera valetu-
 dine gaudenti, quæ valde perterrita fuit, dum epilepticus ad ipsius fere
 pedes concideret: infantem vero post aliquos menses fauste in lucem
 edidit, qui non longo post tempore sacro morbo detentus periit, an-
 tequam ætatis annum attigisset; hæc postea aliquot liberos sustulit,
 qui huic morbo numquam fuerunt obnoxii. In hac observatione hoc
 miramur matrem quæ etsi terrore valido affecta, morbo tamen epilep-
 tico haud tentata fuit, infantem, qui forte primum paroxysmum in
 utero ipso terroris matris momento passus est, affectioni epilepticæ
 obnoxium peperisse. Paroxysmus epilepsiæ à summo terrore provenien-
 tis ægrotantem etiam invadere consuevit, cum idea metus, qui morbo
 occasionem præbuerat, iterum animo effingitur. Cl. Swietenus (b)
 narrat puerum à cane magno insiliente ita terrore affectum fuisse, ut
 paulo post concideret epilepticus, ac paroxysmum redire, dum canem
 majorem videret, vel & latrantem audiret. Hoffmannus (c) familiarissi-
 mum esse ait *infantes lactantes adhuc quando sugunt lac matris terrore affectæ
 incurrere in morbum epilepticum*. Febres intermittentes, Paralyfin, apo-
 plexiam &c. ex terrore orta fuisse clinici observarunt. Suppressionem fluxus
 menstrui, quem sæpe terror resuscitavit, lochiorum, hæmorrhoidum,
 evacuationum criticarum, si terror superveniat die critico, & purpuræ
 in febribus malignis, atque exanthematum in variolis & morbillis
 retropulsionem contigisse memoriæ proditum est. Fonticulos & ulcera
 antiqua à terrore magno cum periculo consolidata fuisse, asthmate &
 colica convulsiva consecutis, se sæpius atque iterum vidisse testatur
 idem Hoffmannus. (d) Mammarum pariter dolorem, in quibus aliquo-
 ties exsurgunt tubercula, quæ interdum in ulcera maligna vel carcino-
 ma

(a) Obs. Chirurg. cent. 3. obs. 8.

(b) Comment. in Aphor. Boërhaav. vol. 3. pag. 415.

(c) Dissert. de animo sanit. & morb. fabro.

(d) Dissert. de rer. noceat. natura & virib. in corp. hum. &c.

ma mali moris mutantur, observatum fuisse Practici afferunt. Bagli-
 yus (a) mulieres quamplurimas abortum passas fuisse, & plures febre
 correptos à medio sublato esse mense Januarii ann. 1703: quo tem-
 pore Romæ successit terræ-motus, morbumque manifeste exacerbari
 in eis qui tunc temporis ægrotabant, adinadvertit. Quæ omnia ter-
 rori, quem terræ-motus Romæ insolitus incusit, jure adscribuntur.
 Constat etiam nihil magis morbis epidemicis & pestilentialibus viam
 pandere, & miasmatis aditum præbere, quam gravem terrorem, qui
 optime cum Pigræo pestis nutrimentum & pabulum appellari potest;
 »audaciores enim, minus infestantur, & correpti minus periclitantur.»
 (b) Sic observatur Pestis ingressu plures eo morbo corripiti atque interire,
 cum progressu temporis impavidi redditi homines, non ita facile infi-
 ciuntur, aut si inficiantur, faciliori negotio sanitati restituantur.
 Canitiem quoque ex subito terrore ortam esse deprehensum fuit. Petrus
 Mexia testatur. D. Didacum Ossorium à Rege Catholico incarcerari
 jussum, exiguo noctis spatio totum canum evasisse, cum adhuc ado-
 lescens esset. Plura alia exempla videtis apud Marcellum Donatum.
 Terrorem itidem in causa fuisse, ut plures eo animi pathemate
 perierint, narrant Galenus, Valerius Maximus, & alii quamplurimi.
 Num quandoque de cælo tactorum repentina mors ex summo
 terrore, quem fulminis strepitus incutit, repetenda est? Hoc sequenti
 Scheuchzeri observatione stabiliri videtur, qui refert mulierem quam-
 dam puerulum suum gestantem, ex fulminis ictu occidisse, cum tamen
 infans nihil inde mali accepisset.

XI.

LÆTITIA est animi affectus qui nascitur ex possessione boni cujus-
 dam, aut futuri boni possessionis opinione, & tunc proprie spes dici-
 tur. Hujus loci sunt gaudium, delectatio, consolatio &c.

Primo omnium cum Sanctorio notare debemus lætitia atque animi
 consolatione transpirationem per totum corporis habitum liberrimam
 reddi, & corpora leviora fieri. Aliter res se habet in reliquis animi
 affectibus qui lætitiæ adversantur, sola excepta ira.

Gaudium & Lætitia, quæ mediocritatem illam tenent, quæ est inter
 nimium & parum, cæteris animi affectibus anteferenda sunt, nam
animus lætus bene afficit vultum, & læti animo sunt convivium jure h. e.
 apud eos qui læti sunt animo, rectius est, quam si lauto cibo vesce-

(a) Prax. Med. lib. 1. cap. 14.

(b) Diemerbroeck de Peste lib. 2. cap. 7.

rentur ; ac denique *exultatio producit dies vitæ.* (a)

Licet hæc ita se habeant , tamen nullo pacto negari potest vehementissimos morbos à nimio gaudio generatos fuisse. Melancholiam etenim timore ac tristitia stipatam , ut vulgo fit , nimium gaudium consecutam fuisse in Historia Medica legitur. Verum quidem est plurimos in primis molles , debiles , & feminas mobiliores ex subito gaudio in Asphyxiam & Syncopem mortalem incidisse. Verosimillimum etiam videtur non nisi ex magno gaudio aliave vehementissima animi passione motus cordis voluntariam sufflammationem & redintegrationem pendere , quam Cheyneus scribit observatam fuisse in Chiliarcho Townshend , qui vere asphytus & mortuo simillimus Medicorum examini se subiciebat , nam usu venit fortasse , ut qui motus vitales cohibere adlaborant , in se prius excitent vehemens quoddam animi pathema. Hoc exemplum memorabile ad statuendum animi in cor imperium nonnulli afferunt. Epilepsiam quoque à magno gaudio sæpe vidit Swietenus. Observatione quotidiana constat anorexia laborare , & placido somno privari eos qui improvise gaudio ex nuntio læto aut alia de causa afficiuntur. Ob lætitiã nimiam & maximum subitumque gaudium quamplurimos è vita discessisse nullus dubitandi locus est. Sic Diogenes Laertius (in vita Chilonis) ait Chilonem amplexum & osculatum filium , quod in Olympia coronatus esset , præ gaudio diem suum obiisse. Zeuxis pictor ille inclytus qui omnem indutriam atque ingenium ad perfecte depingendam pulcherrimam Helenam adhibuerat ; turpissimæ cujusdam vetulæ à se ad vivum delineatæ attentione , adeo lætitiã affectus fuisse dicitur , ut ridendo extremum halitum efflarit. Galenus non diffitetur ex gaudio non paucos fuisse sublato.

XII.

TRISTITIA definiri potest animi dolor qui proficiscitur ex privatione boni , aut ex præsentia mali cujusdam. Huc attinent Dolor , Luctus , Mœror , Invidentiã , cujus effectus bene mehercule hoc versiculo comprehendit Horatius.

Invidus alterius macrescit rebus opimis.

In hac Animi Perturbatione pariter observantur pallor & frigiditas externarum corporis partium , & constrictio cutis spasmodica. Pulsus exilis ac lentus deprehenditur , appetitus prostratur , languescunt vires digestivæ , unde oris amarities , sitis circa horas matutinas , cruditates acidæ & nidorosæ , flatu & tensiones hypochondriorum : som-

(a) Ecclesiast. prov. cap. 15. v. 13. 15 &c.

nus fit turbulentus, & insensibilis transpiratio longe admodum immi-
nuitur.

Morbos itidem procreavit tristitia, quæ, ut sapientissimus omnium
mortalium Salomon inquit »ita in viro nocet cordi, sicut tinea vesti-
»mento & vermis ligno» Melancholiam, morbum Hypochondriacum,
viscerum Obstructiones; Diarrhæas, Febres malignas, ut observatum
fuit in obsidione urbium &c. Febre etiam hectica eos absumi quando-
quidem observatur qui mœrore detinentur, quod patria vel parentibus
vel amicis orbentur, & si mœror jam altis radicibus defigatur, vix ac ne
vix quidem sanantur nisi reditu ad patrios lares, aut amicorum con-
suetudine. Ad calculorum generationem præsertim in cystide fellea, &
ad cachecticum corporis habitum inducendum hanc passionem pluri-
mum conferre Auctores fide-digni narrant. Colicam stercoream apud
Mulieres quæ invitæ in quibusdam Monasteriis Refugiis dictis commo-
rantur, aliquoties observavit illust. de Sauvages. (a) Icterus quoque
à tristitia aut nuntio gravi ortum suum habuisse observatum fuit. Sunt
autem qui causam abortionis, cum gravidis alimento concupito frui
non licet, animi perturbationibus adnumerant, iræ, præcipue, timori,
ac tristitiæ. Sic sentiunt Saxonia, Augenius, Petrus Garcia, & Lem-
nius qui sic ait: »hujus non alia ratio excogitari posse videtur quam
»contracto mœrore mulieris animo spiritus vitales imminui atque
»humores fœtui alendo destinatos alio averti, nec ad uterum deferri,
»sic ut infans alimento quo illum mater explere voluit, destitutus vel
»elanguescat vel emoriatur.... Quod si prægnans validæ sit naturæ
»suisque affectibus obsistere norit ac mederi, non omnino extinguui,
»sed valetudinarium esse infantem contingit.» (b)

XIII.

Nunc reliquum est, ut aliquid de Animi Perturbationum curatione
adjiciamus. *Est profecto*, inquit illust. Klockhoff, (c) *præcipua animi
medicina, Philosophia: sed sola non est..... Non raro Philosophus æger
animo si sanari vult, auxilium, ut in corporis morbis, illi petendum est
foris. Nonnumquam, ut animo rite medicina fiat, corpori simul est adhibenda
curatio.* Idcirco Medicus qui ægro vehementissimis animi motibus
vexato mederi suscepit, in primis sciat necesse est, an solus animus
laboret, an corpus dumtaxat, an denique & corpus & animus simul

(a) Class. morbor. vol. 2. pag. 101.

(b) Vid. Reies Elys. quæst. Camp. quæst. L. 3. pag. 370. 371.

(c) Dissert. de animi morb. ep. nunc.

afficiantur, ut par malo remedium adhiberi possit. Certo certius est Animi Perturbationes ut plurimum ex sola corporis dispositione pendere. Sic perspiratio impedita à quacumque causa mœstitiâ & timorem facit. (a) Melancholicos, Hypochondriacos, & eos qui nimio veneris usu corporis vires labefactarunt, citra manifestam, ut aiunt, occasionem, timore ac tristitia affici omnibus notum esse arbitror. Itaque duplex in curandis Perturbationibus instituenda est medicina, alia corporis, alia mentis: hæc ex Philosophia, quæ vitæ beate agendæ scientia nuncupari potest, & Theologia petenda est: illam vero Medicus promittit, quæ varia est pro ipsa morborum aut affectionum corporis varietate. Nam »triplici remediorum genere humanis »perturbationibus, ut ait Luifinus, (b) occurrere possumus, quorum »quidem primum à Religione donatur; alterum à Morali Philosophia, »tertium ab Arte medendi.

Animi pathematis mancipati receptui canere debent ab omnibus cogitationibus, quibus inhærent, quod præstari potest per longa itinera, peregrinationes, deambulationes prope maris littora, venationes, equitationes, quæ gratis objectis omni momento variatis nec laborem facientibus animum occupant, amicorum colloquia, spectaculorum frequentationem, concentus musices, quæ morborum incantatio dicitur, & quæ in hunc finem est adhibenda, ut contrarii affectus orientur. Oppositi affectus excitamentum tamquam unicum remedium ad medendas animi passiones à Sanctorio habitum fuit, sic enim loquitur: (c) *ira & spes auferunt timorem, & lætitiâ mœstitiâ; passio enim animi non medicinis, sed alia passione contraria superatur.* Somnus ad mentem ab ideis quibus pertinaciter affigitur, avocandam plurimum valet, qui ideo melancholicis tantopere commendatur, unde haud immerito requies animi salutatur, ut patet ex illo Senecæ in Tragedia:

Tuque ò domitor somne malorum
Requies animi, pars humanæ melior vitæ.

Verum integram & omnibus suis numeris absolutam curationem tradere, supra vires & ab instituto nostro alienum foret: hæc igitur sufficiant nobis, quibus tantum de Animi Perturbationibus, ut morborum causis, quantum juvenilis audacia patitur, differere propositum fuit.

(a) Sanctorius stat. Medic. de Anim. affect. sect. 7. aph. 8.

(b) De comescend. animi affect. per Moral. Phil. & Med. art. pag. 37 & 38.

(c) De Stat. Med. sect. 7. ap. 12.